

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum
Theoretico-Practica**

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. I. De Hereditatibus, quae ab intestato deferuntur.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

LIB. III.
 INSTITUTIONUM.
 TIT. I.

*De Hereditatibus, quæ ab intestato
 deferuntur.*

Quis dicatur intestatus?

INTESTATUS decedit, qui aut omnino testamen-
 tum non fecit, aut non jure fecit: aut id, quod
 fecerat, ruptum irritumve factum est: aut si ex eo
 nemo heres extiterit.

Primus ordo succedentium ab intestato.

1. Intestatorum autem hereditates ex Lege duo-
 decim Tabularum primum *ad suos heredes* per-
 tinent.

Qui sint sui heredes.

2. *Sui* autem heredes existimantur, ut supra di-
 ximus, qui in potestate morientis fuerint: veluti
 filius filiave, nepos neptisve ex filio, pronepos
 proneptisve ex nepote, ex filio nato prognatus
 prognatave. Nec interest, utrum naturales sint li-
 beri, an adoptivi. Quibus connumerari necesse est
 etiam eos, qui ex legitimis quidem matrimoniis
 non sunt progeniti, Curiis tamen civitatum dati,
 secundum Divalium Constitutionum, quæ super
 his positæ sunt, tenorem, heredum suorum jura
 nanciscuntur. Nec non eos, quos nostræ ample-
 xæ sunt* Constitutiones, per quas jussimus, ut si
 quis mulierem in suo contubernio copulaverit,
 non ab initio affectione maritali, eam tamen, cum
 qua poterat habere conjugium, & ex ea liberos fu-
 stulerit; postea vero affectione procedente, etiam
 nuptialia

* v. L. 10.
 l. 11. C. de
 nat. lib.

nuptialia instrumenta cum ea fecerit, & filios vel filias habuerit: non solum eos liberos, qui post dotem editi sunt, justos & in potestate patris esse, sed etiam anteriores, qui & iis, qui postea nati sunt, occasionem legitimi nominis præstiterunt. Quod obtinere censuimus, & si non progeniti fuerint post dotale instrumentum confectum liberi, vel etiam nati ab hac luce fuerint subtrahiti. Ita demum tamen nepos neptisve, pronepos proneptisve, suorum heredum numero sunt, si præcedens persona desierit in potestate parentis esse; sive morte id acciderit, sive alia ratione, veluti emancipatione. Nam si per id tempus, quo quis moreretur, filius in potestate ejus sit: nepos ex eo suus heres esse non potest. Idque & in ceteris deinceps liberorum personis dictum esse intelligimus. Posthumi quoque, qui, si vivo parente nati essent, in potestate ejus futuri forent, sui heredes sunt.

Quomodo sui heredes fiant.

3. Sui autem heredes fiunt etiam ignorantes, & licet furiosi sint, heredes possunt existere; quia quibus ex causis, ignorantibus nobis acquiritur, ex his causis & furiosis acquiri potest. Et statim morte parentis quasi continuatur dominium, & ideo nec tutoris auctoritate opus est pupillis, cum etiam ignorantibus acquiratur suis heredibus hereditas: nec curatoris assensu acquiritur furioso, sed ipso jure.

Ex Favol. l. 63. de acqu. heredit. Pompon. l. 12. de reb. cred. § l. 24. de oblig. § act.

De filio post mortem patris ab hostibus reverso.

4. Interdum autem, licet in potestate parentis mortis tempore suus heres non fuerit, tamen suus heres parenti efficitur: veluti si ab hostibus quis reversus fuerit post mortem patris sui: jus enim postliminii hoc facit.

De memoria patris damnata ob crimen perduellionis.

5. Per contrarium evenit, ut licet quis in fami-



lia defuncti sit mortis tempore, tamen suus heres non fiat: veluti si post mortem suam pater iudicatus fuerit perduellionis reus, ac per hoc memoria ejus damnata fuerit. Suum enim heredem habere non potest, cum fiscus ei succedit: sed potest dici, ipso quidem jure suum heredem esse, sed desinere.

De divisione hereditatis inter suos heredes.

6. Cum filius filiae, & ex altero filio nepos neptisve existunt, pariter ad hereditatem avi vocantur: nec qui gradu proximior est, ulteriorem excludit. Æquum enim esse videtur, nepotes neptesve in patris sui locum succedere. Pari ratione, & si nepos neptisve sit ex filio, & ex nepote pronepos proneptisve, simul vocantur. Et quia placuit, nepotes neptesve, item pronepotes proneptesve in parentis sui locum succedere, conveniens esse visum est, non in capita, sed in stirpes hereditatem dividi: ut filius partem dimidiam hereditatis habeat, & ex altero filio duo pluresve nepotes alteram di-

Ex Cajo midiam. Item si ex duobus filiis nepotes neptesve
lib. 2. Inst. extant, ex altero unus forte aut duo, ex altero tres
tit. 8. Ulp. aut quatuor; ad unum aut duos dimidia pars per-
l. 2. §. 2. tineat, ad tres vel quatuor altera dimidia.
de suis &
legit.

Quo tempore suitas spectetur.

7. Cum autem quaeritur, an quis suus heres existere possit: eo tempore quaerendum est, quo certum est, aliquem sine testamento decessisse, quod accidit & destituito testamento. Hac ratione, si filius exheredatus fuerit, & extraneus heres institutus, & filio mortuo, postea certum fuerit, heredem institutum ex testamento non fieri heredem, aut quia noluit esse heres, aut quia non potuit; nepos avo suus heres existet. Quia quo tempore certum est, intestatum decessisse patremfamilias, solus invenitur nepos: & hoc certum est.

Ex Papin.
l. 7. unde
liberi.

De

De nato post mortem avi, vel adoptato a filio emancipato.

8. Et licet post mortem avi natus sit, tamen avo vivo conceptus, mortuo patre ejus, posteaque deserto avi testamento, suus heres efficitur. Plane si & conceptus & natus fuerit post mortem avi, mortuo patre suo, desertoque postea avi testamento, suus heres avo non existet: quia nullo jure cognationis patrem sui patris attigit. Sed nec ille est inter liberos avi, quem filius emancipatus adoptavit. Hi autem, cum non sint sui quantum ad hereditatem liberi, neque bonorum possessionem petere possunt quasi proximi cognati. Hæc de suis heredibus.

De liberis emancipatis.

9. Emancipati autem liberi Jure Civili nihil juris habent: neque enim sui heredes sunt, quia in potestate parentis esse desierunt, neque ullo alio jure per Legem duodecim tabularum vocantur. Sed Prætor, naturali æquitate motus, dat eis bonorum possessionem *Unde liberi*, perinde ac si in potestate parentis, tempore mortis fuissent: sive soli sint, sive cum suis heredibus concurrant. Itaque duobus liberis extantibus, emancipato, & qui tempore mortis in potestate fuerit: sane quidem is, qui in potestate fuit, solus Jure Civili heres est, id est solus suus heres: sed cum emancipatus beneficio Prætoris in partem admittitur, evenit, ut suus heres pro parte heres fiat.

Si emancipatus se dederit in adoptionem.

10. At hi, qui emancipati a parente in adoptionem se dederunt, non admittuntur ad bona naturalis patris, quasi liberi: si modo, cum is moreretur, in adoptiva familia fuerint. Nam vivo eo emancipati ab adoptivo patre, perinde admittuntur ad bona naturalis patris, ac si emancipati ab ipso essent, nec unquam in adoptiva familia fuissent.

Ex l. ult. unde liberi. Ex l. 2. eod.



sent. Et convenienter, quod ad adoptivum patrem pertinet, extraneorum loco esse incipiunt. Post mortem vero naturalis patris emancipati ab adoptivo, & quantum ad hunc pertinet, æque extraneorum loco fiunt: & quantum ad naturalis patris bona pertinet, nihilo magis liberorum gradum nanciscuntur. Quod ideo sic placuit, quia iniquum erat, esse in potestate patris adoptivi, ad quos bona naturalis patris pertinerent, utrum ad liberos ejus an ad agnatos.

Collatio filiorum naturalium & adoptivorum.

*Ex Paulo
l. 4. si tab.
test. nub. e
ex tab. l. 8.
de reg. jur.*

II. Minus ergo juris habent adoptivi filii, quam naturales. Namque naturales emancipati, beneficio Prætoris gradum liberorum retinent, licet Jure Civili perdunt; adoptivi vero emancipati, & Jure Civili perdunt gradum liberorum, & a Prætoris non adjuvantur, & recte. Naturalia enim jura civilis ratio perimere non potest: nec, quia desinunt sui heredes esse, possunt desinere filii filiarum, aut nepotes neptesve esse. Adoptivi vero emancipati extraneorum loco incipiunt esse: quia jus nomenque filii filiarum, quod per adoptionem consecuti sunt, alia civili ratione, id est, emancipatione, perdunt.

De bonorum possessione contra tabulas.

12. Eadem hæc observantur, & in ea bonorum possessione, quam contra tabulas testamenti parentis liberis præteritis, id est, neque heredibus institutis, neque ut oportet, exhereditatis, Prætor pollicetur. Nam eos quidem, qui in potestate mortis tempore fuerint, & emancipatos vocat Prætor ad eandem bonorum possessionem: eos vero, qui in adoptiva familia fuerint per hoc tempus, quo naturalis parens moreretur, repellit. Item adoptivos liberos emancipatos ab adoptivo patre, sicut nec ab intestato, ita longe minus contra tabulas testa-

testamenti, ad bona ejus admittit; quia desinunt in numero liberorum ejus esse.

Unde cognati.

13. Admonendi tamen sumus, eos, qui in adoptiva familia sunt: quive post mortem naturalis parentis ab adoptivo patre emancipati fuerint, intestato parente naturali mortuo, licet ea parte Edicti, qua liberi ad bonorum possessionem vocantur, non admittantur, alia tamen parte vocari, scilicet qua cognati defuncti vocantur. Ex qua parte ita admittuntur, si neque sui heredes liberi, neque emancipati obstant, neque agnatus quidem ullus interveniat. Ante enim Prætor liberos vocat tam suos heredes, quam emancipatos, deinde legitimos heredes, proximos cognatos.

Emendatio juris antiqui. De adoptivis.

14. Sed ea omnia antiquitati quidem placuerunt: aliquam autem emendationem a nostra* Constitu-^{* v. L. pen.} tione acceperunt, quam super iis personis exposui-^{Cod. adop.} mus, quæ a patribus suis naturalibus in adoptionem aliis dantur. Invenimus etenim nonnullos casus, in quibus filii & naturalium parentum successionem propter adoptionem amittebant, & adoptione facile per emancipationem soluta, ad neutrius patris successionem vocabantur. Hoc solito more corrigentes, Constitutionem scripsimus, per quam definimus, quando parens naturalis filium suum adoptandum alii dederit, integra omnia jura ita servari, atque si in patris naturalis potestate permansisset, nec penitus adoptio fuisset subsequuta: nisi in hoc tantummodo casu, ut possit ab intestato ad patris adoptivi venire successionem. Testamento autem ab eo facto, neque Jure Civili, neque Prætorio, ex hereditate ejus aliquid persequi potest: neque contra tabulas bonorum possessione agnita, neque inofficiosi querela instituta. Cum
nec

nec necessitas patri adoptivo imponatur, vel heredem eum instituere, vel exheredem facere: utpote nullo vinculo naturali copulatum: neque si ex Sabiniano Senatusconsulto ex tribus maribus fuerit adoptatus. Nam & in ejusmodi casu, neque quarta ei servatur, neque ulla actio ad ejus persecutionem ei competit. Nostra autem Constitutione exceptus est is, quem parens naturalis adoptandum susceperit. Utroque enim Jure, tam naturali quam legitimo, in hanc personam concurrente, pristina jura tali adoptioni servamus: quemadmodum si paterfamilias sese dederit adrogandum. Quæ specialiter & singulatim ex præfatæ Constitutionis tenore possunt colligi.

De descendantibus ex fœminis.

15. Item vetustas ex masculis progenitos plus diligens, solos nepotes vel neptes, qui quæve ex virili sexu descendunt, ad suorum vocabat successionem, & juri agnatorum eos anteponebat: nepotes autem, qui ex filiabus nati sunt, & pronepotes ex neptibus, cognatorum loco connumerans, post agnatorum lineam eos vocabat, tam in avi vel proavi materni, quam in aviæ vel proaviæ, sive paternæ sive maternæ, successionem. Divi autem Principes non passi sunt, talem contra naturam injuriam sine competenti emendatione relinquere; sed cum nepotis & pronepotis nomen commune sit utrisque, tam qui ex masculis, quam qui ex fœminis descendunt: ideo eundem gradum & ordinem successionis eis donaverunt. Sed ut amplius aliquid sit eis, qui non solum naturæ, sed etiam veteris juris suffragiis muniuntur: portionem nepotum, vel neptum, vel deinceps (de quibus supra diximus) paulo minuendam esse existimaverunt, ut minus tertia parte acciperent, quam mater eorum, vel avia fuerat acceptura, vel pater eorum, vel avus paternus, sive maternus, quando fœmina mortua sit,

fit, cujus de hereditate agitur: iisque, licet soli sint, adeuntibus, agnatos minime vocabunt. Et quemadmodum Lex duodecim tabularum, filio mortuo, nepotes vel neptes, pronepotes vel proneptes in locum patris sui ad successionem avi vocat; ita & Principalis dispositio in locum matris suæ, vel aviæ, eos cum jam designata partis tertiæ deminutione vocat. Sed nos, cum adhuc dubitatio maneret inter agnatos & memoratos nepotes, quartam partem substantiæ defuncti agnatis sibi vindicantibus ex cujusdam Constitutionis auctoritate, memoratam quidem Constitutionem a nostro Codice segregavimus, neque inseri eam ex Theodosiano Codice in eo concessimus. Nostra autem * Constitutio promulgata, toti juri ejus derogatum est: & sanximus, talibus nepotibus ex filia, vel pronepotibus ex nepte, deinceps superstitibus, agnatos nullam partem mortui successionis sibi vindicare: ne hi, qui ex transversa linea veniunt, potiores his habeantur, qui recto jure descendunt. Quam Constitutionem nostram obtinere secundum sui vigorem & tempora, & nunc sancimus: ita tamen, ut, quemadmodum inter filios & nepotes ex filio antiquitas statuit, non in capita, sed in stirpes dividi hereditatem: similiter nos inter filios & nepotes ex filia, distributionem fieri jubemus, vel inter omnes nepotes & neptes, & inter pronepotes & proneptes, & alias deinceps personas: ut utraque progenies, matris vel patris, aviæ vel avi, portionem sine ulla deminutione consequatur: ut si forte unus vel duo ex una parte, ex altera tres aut quatuor extent, unus aut duo dimidium, alteri tres aut quatuor alteram dimidiam hereditatis habeant.

* v. L. ult.
C. d. suis
& leg. lib.

I.

Successio legitima seu intestati est, quæ deficiente successione testamentaria a lege immediate



diate defertur, a. L. 39. ff. d. acqu. vel om. her. (a) sive nullum s. irritum ruptumve testamentum conditum sit. PR. J. h. j. l. 1. ff. de suis & leg. her.

II. Successio vetus est in Tit. 1. vid. rubr. h. J. Tit. 2. De Legitima Agnatorum Successione. Tit. 3. De Senatus Consulto Tertulliano. Tit. 4. De SCto Orficiano. Tit. 5. De Successione Cognatorum. Tit. 6. De Gradibus Cognationum. Tit. 7. De Servili Cognatione. Tit. 8. De Successione Liberatorum. Tit. 9. De Assignatione Libertorum. Hi breviter recensiti sunt in Tract. Inst. Tabb. comprehensa.

III. Successio legitima novissima conceditur vel jure Cognationis vel ex ratione Civili. Quæ jure cognationis tribuitur est vel ordinaria vel extraordinaria. Successio ordinaria dicitur, quæ jure communi in res hereditarias competit, atque ista defertur vel descendantibus, Nov. CXVIII. c. 1. j. L. 7. §. 1. ff. si tab. test. null. extab. (b) vel ascendentibus. N. 118. c. 2. vel collateralibus. Nov. 118. c. 3.

IV. Descendentes legitimi sunt vel legitimi & naturales, vel legitimi tantum. Legitimi & naturales vel tales nati, vel facti. Nati sunt ex justis nuptiis. l. 4. §. 2. ff. d. grad.

(a) Quamdiu potest ex testamento adiri hereditas, ab intestato non defertur. a. L. 39. ff. d. acqu. vel om. her.

(b) Non sic Parentibus Liberatorum, ut Liberis Parentum debetur hereditas, Parentes ad bona Liberatorum Ratio Miserationis admittit, Liberos Naturæ simul & Parentum commune votum. L. 7. §. 1. ff. si tab. testam. null. extab.

V. Hi


V. Hi *descendentes* (1) *excludunt omnes ascendentes*, etiam avum, in cujus potestate defunctus fuit, ratione bonorum, quæ filii propria fuerunt: ut castrensi-um, quasi castrensi-um, adventitiorum irregularium, in peculio regulari sola proprietas ad liberos transit, & ususfructus penes avum jure patriæ potestatis ad dies vitæ permanet. *d. c. 1. j. l. 3. C. d. bon. quæ lib.* (2) Sive descendentes sint masculi sive fœminæ, *d. N. c. 1.* five sui s. emancipati. *d. c. 1.* Quoties *liberi ex diversis matrimoniis orti* vel sunt *comprivigni, zusammen gebrachte Kinder,* & singuli suis parentibus succedunt, vel *alterum parentem communem* habent, alterum diversum, atque hi separatim parenti proprio, conjunctim communi parenti succedunt. *j. l. 6. §. 1. C. d. secund. nupt.*

VI. Quoties *descendentes* sunt (1) *primi gradus tantum* hæreditas dividitur in *capita*, i. e. pro numero personarum. *a. §. 6. j. d. hered. quæ ab intest.* (2) *primi & ulterioris gradus simul, illi in capita, hi in stirpes* succedunt in infinitum, *jure representationis*, ita scilicet, ut personam defuncti parentis referant, eandemque portionem hæreditariam capiant, quam ipse accepisset, si vixisset

Nov. CXVIII. c. 1. (c)

(c) *In linea descendente Jus representationis obtinet in infinitum. a. N. 118. c. 1.*

(3) Ul-

(3) *Uterioris gradus tantum in stirpes succedunt.*

a. l. 2. C. de suis & leg. lib.

VII. *Descendentes legitimi & naturales facti* sunt legitimi vel per subsequens matrimonium, vel per oblationem curiæ vel per rescriptum principis. (1) *Legitimi per subsequens matrimonium*, simili Jure gaudent cum legitimis & naturalibus ab initio talibus. N. 89. c. 8. (d) (2) *Legitimi per oblationem curiæ* quomodo succedant, v. *Tract. Syn. Inst.* h. t.; ea legitimatio *hodie* non est in usu. (3) *Legitimi per Rescriptum Principis*, cum legitimi sunt *ante mortem patris liberis justis extantibus* non succedunt, a. l. 2. §. 16. ff. *ne quid in loc. publ.* at liberis *justis non extantibus* succedunt, sive patri postea *justi liberi nascantur*, sive non. N. 89. c. 9. j. l. 58. §. 1. ff. d. R. J. *Post mortem patris legitimi ad successionem non admittuntur*, licet specialiter ad successionis effectum legitimatio facta sit, propter Jus aliis jam quæsitum, quod ipsis extorquendum non est. a. l. 2. §. 10. ff. *ne quid in loc. publ.* l. 2. ff. *d. his qui sui vel al.*

IX. *Descendentes legitimi tantum: ut adoptivi*, patri naturali succedunt, a. N. 118. c. 1. & *adoptivo*, sive sint arrogati s. adoptivi in specie sic dicti, atque hi tales per adoptionem plenam

(d) *Liberi legitimi per subsequens matrimonium eodem Jure*, quo legitimi & naturales nati, utuntur, *fingunturque ab initio esse legitime nati.* a. N. 89. c. 8. vel

11. Febr. 1771. 8. naturalis, et successione legitima in
fidei



Ex lib. de alacris libris et Nov.



vel minus plenam effecti. §. 2. *J. d. adopt. l. 10. pr. §. 1. C. d. adopt.*

IX. *Descendentes illegitimi* vel sunt simpliciter, vel cum peculiari nota tales. Illi vel naturales tantum, vel spurii. *Naturales tantum*, i. e. ex concubina suscepti, *N. 89. c. 12. matri & maternis Jure sanguinis*, non secus atque ex justis nuptiis procreati: *l. 2. l. 4. ff. unde cognat. l. 4. §. 2. ff. d. grad.* Patri autem succedunt, *quando liberos legitimos aut legitimam conjugem (1) non relinquit, in Sextantem s. duas uncias cum matre dividendas N. 89. c. 12. §. 4. in capita, sic resp. E. J. L. M. April. 704.* (2) relinquit, neuti- quam: alendi tamen sunt secundum substantiæ relictæ mensuram boni viri arbitrato. *d. N. 89. c. 12. §. fin. Auth. licet. C. d. natural. lib. (e)*

X. *Spurii* i. e. ex stupro *l. 7. ff. d. grad.* vel for- tatione suscepti, *l. 23. ff. d. stat. hom. succedunt matri & maternis* e. g. maternæ aviæ, *l. 8. ff. und. cogn.* item avo materno æque ac justis li- beri. *l. 2. l. 4. l. 8. ff. und. cogn.* Patri neuti- quam, licet apud nos certus sit. ita *resp. E. J. L. Mens. Mart. A. 702.*

XI. *Descendentes cum peculiari nota: ut adulterini & incestuosi* plane destituuntur succe- dendi Jure. *N. 74. c. f. N. 89. c. f.* Id quod ad natos ex incestu Juris statutarii, tanquam im- proprie tales, extendendum non est, interim *incestuosus & adulterinis quoque liberis Jure, non*

(e) *Misericordia indigni non sunt, qui alieno laborant vitio. L. 7. C. d. natural. liber.*

civili, a. N. 89. c. f. sed hodierno decernuntur alimenta a parentibus præstanda. u. c. 5. X. d. eo qui dux. in ux. j. a. l. 7. C. d. natural. lib.

XII. Post descendentes successio ordinaria defertur ascendentibus, (f) N. CXVIII. c. 2. a. l. 15. ff. d. inoffic. testam. qui succedunt liberis vel legitimis, vel illegitimis. Legitimis aut legitimis & naturalibus, aut legitimis tantum. Legitimis & naturalibus vel natis vel factis. Natis, &c., cum soli sint proximi gradus, succedunt in capita, excluduntque remotiores, d. c. 2. etiam apud Saxones; P. 3. C. El. 17. licet solus pater matere sola superfit: d. c. 2. quoties sunt remotiores, lineæ unius succedunt in capita, d. c. 2. lineæ diverse hæreditas in duas partes dividitur, quarum altera paternæ, altera maternæ lineæ ascendentibus cedit. d. c. 2.


XIII. Quando ascendentes succedunt liberis legitimis & naturalibus natis & concurrunt cum fratribus &c. defuncti germanis, fit divisio in capita, a. d. c. 2. germanisque fratribus & sororibus sua portio pleno jure, ita scilicet ut ususfructus ad patrem haud perveniat, acquiritur. d. c. 2. Apud Saxones parentes omnes collaterales a successione excludunt. a. IX. l. 1. a. 17. At quoties illi succedunt fratribus germanis defuncti & germanorum fratrum &c. prædefunctorum liberis, ascendentes & fratres in ca-

(f) Turbato ordine mortalitatis in solatium liberorum amissorum parentibus debetur liberorum hæreditas. a. L. 15. ff. d. inoffic. testam.

pita,

Leg. IV. d. di

pita, fratrum liberi in stirpes, Jure repræsen-

tationis  vocantur. N. 127. c. 1. Apud

Saxones cessat hoc Jus repræsentationis, parentesque etiam fratres excludunt.

XIV. *Ascendentes* liberis legitimis & naturalibus factis s. legitimatis succedunt, ut legitimis & naturalibus, ex natura correlatorum, cum liberi quoque parentibus ita succedant. a. N. 89. c. 8. j. c. 13. l. 20. ff. d. re judic. dummodo liberi sint legitimati per subsequens matrimonium, aut per rescriptum principis cum jure succedendi: nam legitimatis per oblationem curiæ pater in dodrantem succedit, reliquas tres uncias curia capit. N. 89. c. 4. 6. postrema hæc legitimatio desit.


XV. Liberis legitimis tantum, ut adoptivis, pater adoptivus extraneus non succedit. §. 2. J. d. adopt. nec adoptivi patris uxor. a. l. 23. ff. d. adopt. Patri vero naturali & legitimo hujus filii hæreditas debetur. a. l. 10. C. d. adopt. vicissim adoptivis liberis ascendens, qui adoptavit, paterve arrogator, cum matre & patre naturali ac legitimo fratribusque germanis succedit. a. l. 10. C. d. adopt. §. 2. J. eod. j. N. 118. c. 2. & divisio fit in capita, nisi fratrum filii Jure repræsentationis concurrant, modo arrogati puberes decedant. §. 3. J. d. adopt.

XVI. Liberis illegitimis in specie talibus, & quidem naturalibus tantum succedit (1) pater: deficientibus filii liberis justis & uxore legitima,

ma, in duas Uncias s. *Sextantem*. N. 89. c. 13.
 (2) *Mater sola in reliquum patrimonium*, ex-
 clusis fratribus defuncti. N. 118. c. 2. j. l. 4. ff. *unde*
cogn. at spurii succedit sola mater. l. 2. ff. *unde*
cognat. Parentes cum peculiari nota tales li-
 beris non succedunt. a. N. 74. c. f. *egentes tamen*
a liberis aucti sunt. a. Nov. 12. c. 2.

XVII. *Collaterales*, legitimi & naturales na-
 ti, sunt vel proximiores, vel remotiores. *Pro-*
ximiores, i. e. fratres & sorores eorumque filii
 aut sunt bilaterales aut unilaterales. Bilatera-
 les s. *Germani*, cum *soli* vocantur, succedunt Ger-
 manis *in capita*, excluduntque fratres consan-
 guineos & uterinos, N. 118. c. 3. etiam apud
Saxones; at *quoties concurrunt cum Germano-*
rum fratrum & sororum filiis, dividitur hære-
 ditas inter Germanos fratres *in capita*, sed in-
 ter Germanorum fratrum filios *in stirpes*. d. c. 3.
Jure Saxon. regulariter in linea collateralis
 omnis representatio cessat. a. *R. l. 1. a. 3. P. 3.*
C. El. 18. §. Wir. v. R. J. Wormat. d. A. 1521. §. 19.
& 40. Soli fratrum Germanorum, licet diver-

forum, filii succedunt *in capita*.



l. 2. §. 2. ff. *d. suis & legit. hæc*. R. J. d. A. 1529.
 §. 31. *item als*.

XVIII. Fratres & sorores unilaterales, ut
Consanguinei vel Uterini, quando *Jure Civili*
 sunt *soli*, succedunt *in capita*. d. N. c. 3. *Quoties*
concurrunt cum Consanguineorum & Uterino-
rum

rum filiis inter fratres in capita, inter fratrum filios in stirpes hæreditas dividitur. d. N. c. 3. Jure Saxonico unilaterales fratres & sorores sunt bilateralibus uno gradu remotiores. R. l. i. a. 3. P. 3. C. El. 18. §. Wann aber.

XIX. Collaterales legitimi & naturales nati, iique *remotiores*, i. e. ultra fratrum & sororum filios constituti, succedunt ita, ut *Jure Civili* duplicitatis vinculi & Juris repræsentationis ratio non habeatur, sed proximior excludat remotiorem etiam ultra 10. Gradum in infinitum. *l. 2. §. 1. ff. d. suis & legit. hæred. N. 118. c. 3. §. 1. (g)* *Jure Saxonico* unilaterales semper pro remotioribus uno gradu habentur, quam bilaterales. *a. R. l. i. a. 3.*

XX Collaterales legitimi & naturales facti, s. *legitimati per subsequens matrimonium* succedunt tanquam Germani. *a. N. 89. c. 8.* Legitimati *per rescriptum Principis*, quando legitimati sunt cum Jure succedendi, instar consanguineorum ad successionem vocantur. Legitimati *per oblationem Curie*, collateralibus plane non succedunt. *N. 89. c. 4.*

XXI. Collaterales legitimi tantum s. *adoptivi*, cum sunt *adoptati minus plene*, non succedunt, tanquam extranei. *a. §. 2. ff. d. adopt. verum adoptati plene item arrogati* durante Jure agnationis agnatis tanquam agnati succedunt,

(g) *Ultra Fratrum & Sororum Liberos in linea Collaterali neque Repræsentatio, neque Duplex Vinculum attenditur. a. N. 118. c. 3.*

& Consanguineorum fratrum jura habent. *a. l. 10. C. d. adopt.*

XXII. Collaterales illegitimi iique *naturales tantum*, item *spurii a matre conjunctis succedunt* Jure cognationis. *a. l. 2. l. 4. ff. und. cognat.* excluduntur autem a fratribus defuncti Germanis, Consanguineis & Uterinis. *a. N. 89. c. 12. §. 1. 2. §. 2. J. d. adopt. j. N. 89. c. 4.* sed a patre conjunctis non succedunt, siquidem destituti sunt Jure agnationis. *l. 4. ff. und. cogn. pr. J. d. patr. pot. §. 12. J. d. nupt. Adulterini & incestuosi fratres sibi invicem neutiquam succedunt. a. N. 74. c. f.*

XXIII. Haftenus de successione legitima, quæ defertur Jure cognationis, eaque ordinaria, actum est. *Extraordinaria Jure singulari in certis rebus* locum habet, ut Heergewetticis, Geradicis, *Heergewetta* complectitur *res expeditorias* s. suppellectilem, quæ ad illum, qui militarem expeditionem molitur, *armandum* exigitur, & ex bonis defuncti debetur, quatenus in iis deprehenditur, *§. l. 1. a. 22.* Hæc acquiritur equestris ordinis hominibus regulariter, *§. l. 1. a. 27.* non Clericis. *d. art. j. §. l. 1. a. 5.* deferturque in iutu agnationis (1) *descendentibus* primis & ulterioribus, cum plures numero concurrunt, *senior* gladium habet præcipuum. *§. l. 1. a. 22.* (2) *ascendentibus*, qui collaterales excludunt. *§. l. 1. a. 17.* (3) *collateralibus* solum agnationis & proximi gradus ratione habita, unde germani cum consanguineis apud Saxo-

Saxones pari jure succedunt. Deficientibus agnatis magistratui merum imperium habenti Heergewetta cedit. *R. l. i. a. 28. l. 3. C. El. 38. §. f.*

XXIV. *Gerada* est *universitas* certarum rerum mobilium, & se moventium, muliebri usui ornatuque servientium, quæ regulariter uxori defuncti, proximæve ejus, quæ decessit, cognatæ acquiritur. *R. l. i. a. 24.* Estque vel ordinaria vel extraordinaria. *Ordinaria* aut uxorum, & post mortem mariti ad uxorem superstitem pertinet. *Welchbild. art. 23. j. P. 3. C. El. 20. 37.* aut *cognatarum* s. *Niffelgerade*, eaque vel *plena*, *die volle Gerade*, & omnes res *Geradicas* continet, ac, post mortem foeminae, proximæ illius cognatæ debetur, vel *Niffelgerada in specie*, & certas tantum res *Geradicas* ad proximam cognatam devolvit. *Extraordinaria* *Gerada* masculis conceditur. Ita *Clericis*, qui sacris initiati sunt, materna *Gerada* una cum sororibus cedit. *R. l. i. a. 5.* & *Maritis* uxoris *Gerada* tribuitur. *Stat. Lips. d. Gerada. d. A. 1672. art. 1. j. art. 3.*

XXV. *Gerada* *defertur* regulariter solo *Jure cognationis cognatis* (1) *descendentibus*, (2) *ascendentibus* e. g. matri, aviæ, &c. *collateralibus* exclusis. *R. l. i. a. 17.* (3) *collateralibus* sola propinquitate gradus, & *cognitione* spectata; deficientibus cognatis foeminini sexus *gerada* magistratui merum imperium habenti acquiritur.

XXVI. Deficientibus cognatis *defertur successio conjugii Jure Civili*, late sic dicto, & quidem *soli universaliter*, atque tum conjux in univer-

fitatem bonorum ex edicto Prætoris unde vir & uxor, succedit. *l. un. C. und. Vir & Uxor.* etiam *hodie*; particulariter vero conjux superstes inops ad defuncti divitis partem bonorum una cum aliis admittitur. *N. 117. c. 5. 1. N. 53. c. 6. &*, si concurrunt liberi tres vel pauciores, conjux usufructum quartæ partis, quando quatuor aut plures, conjux *virilis partis usufructum* capit. *d. N. c. 5.* At quoties concurrunt ascendentes aut collaterales, conjux *quartam partem* hæreditatis *pleno jure* i. e. proprietate & usufructu, acquirit. *a. d. N. 117. c. 5.*

XXVII. *Jure Saxonico marito* successio in omnia *mobilia* uxoris defunctæ competit, *℞. l. 1. a. 31. l. 3. a. 76. P. 3. C. El. 22.* facta thori consensione. *℞. l. 1. a. 45.* interim Legitima liberorum, parentum, ex hisce mobilibus præstanda vel supplenda est. *a. l. 30. l. 32. C. d. inoff. test. N. 1. c. 1. §. 1.*

XXVIII. *Jure Saxonico uxori nobili* tribuitur (1) *Gerada*, ita ut hæc singulari jure etiam complectatur omnes *oves* sexus fœminini, quas maritus reliquit, (2) *sponsalitia largitas* s. *Morgengaba*, qua vidua in *pecudes fœmellas* cujuscunque generis in quocunque prædio mariti existentes succedit. *℞. l. 1. a. 24.* (3) *jus circa cibaria domestica*, das *Mußtheil*, quod continet *dimidiam partem esculentorum & potulentorum*, quæ a defuncto marito in usum, licet plus quam annum, *P. 3. C. El. 36.* comparata, post diem trigesimum, a morte illius, supersunt, & tempore

tempore mortis illius in ædibus, & penuariis P. 3. C. El. 34. fuerunt. (4) *Dotalitium, Leibgedinge*, de quo tit. de donation. in f. L. 2. J. 1. 7. actum.

XXIX. *Uxori ignobili jure Saxonico communi* regulariter relinquenda *in casum inopiæ* successio ex N. 17. c. 5. nisi eidem statutum certam portionem hæreditariam assignet, hanc enim postulare vel illata repetere illi tum permittitur. Jure *Electoralis* eidem tribuitur *portio statutaria*, quæ est, *liberis existentibus, quarta*, non existentibus *tertia pars* hæreditatis mariti deducto ære alieno, quam capit sub onere conferendi omnia sua bona una cum Gerada P. 3. C. El. 20. nisi illata repetere malit. d. C. §. f.

XXX. Deficientibus cognatis, & conjugibus nec non collegio, cui privilegium succedendi membro suo datum est, l. 1. C. d. her. Decur. l. 2. C. eod. Jure succedendi gaudet *fiscus*, qui *bona vacantia* occupat. l. 4. C. d. bon. vac. (b) j. Tract. Syn. Pand. p. 472.

XXXI. *Successio in bona mobilia fit secundum Jus*, quod est in loco *domicilii* ejus, qui mortuus est. Mobilia enim pro accessionibus personæ habentur. a. l. 19. §. f. ff. d. jud. j. l. 2. ff. d. pecul. leg. at in bonis *immobilibus jus*, quod est *in loco rei sitæ*, observandum venit. a. l. f. C. ubi in rem act. Dec. El. 54.

(b) *Vacantia mortuorum bona tunc ad fiscum trans-eunt, si nullum ex qualibet sanguinis linea, vel Juris titulo, legitimum relinquunt ab intestato heredem* L. 4. C. d. bon. vac.

TIT. II.

*De Legitima Agnatorum Successione:**Secundus ordo heredum legitimorum.*

SI nemo suus heres, vel eorum, quos inter suos heredes Prætor vel Constitutiones vocant, extat, qui successionem quoquo modo amplectatur; tunc ex Lege duodecim Tabularum ad agnatum proximum pertinet hereditas.

De agnatis naturalibus.

1. Sunt autem agnati (ut primo quoque libro tradidimus) cognati per virilis sexus personas cognitione conjuncti, quasi a patre cognati. Itaque ex eodem patre nati fratres agnati sibi sunt, qui & consanguinei vocantur: nec requiritur, an etiam eandem matrem habuerint. Item patruus fratris filio, & invicem is illi agnatus est. Eodem numero sunt fratres patruales, id est, qui ex duobus fratribus procreati sunt, qui etiam consobrini vocantur. Quæ ratione etiam ad plures gradus agnationis pervenire poterimus. Ii etiam, qui post mortem patris nascuntur, jura consanguinitatis nanciscuntur. Non tamen omnibus simul agnatis dat Lex hereditatem: sed iis, qui tunc proximior gradu sunt, cum certum esse cœperit, aliquem intestatum decessisse.

De adoptivis.

2. Per adoptionem quoque agnationis jus consistit: veluti inter filios naturales, & eos, quos pater eorum adoptavit. Nec dubium est, quin ii improprie consanguinei appellentur. Item si quis ex ceteris agnatis tuis, veluti frater, aut patruus, aut denique is, qui longiore gradu est, adoptaverit aliquem, agnatus inter suos esse non dubitatur.

De